



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 32. Caroli Lanoyi Neapolitani Proregis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](#)

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

Cæfari a sanctioribus conscientiæ consiliis erant. Hunc igitur Clemens Papa, cum apud Imperatorem gratia, & auctoritate plurimum valeret, impense rogabat, ut de ejus libertate cum Carolo ageret. Adiit Quignonius Cæsarem, a quo tamen haud benignius responsum, quam ceteri tulisse videtur. Tandem vero Imperator non tam aliorum precibus flexus, quam potius (ut conjicere licet) præsenti Neapolis Regni statu compulsus, Papam liberum dimitti jussit, hancque in rem Quignonium unacum Verrio Miliacensi in Italiam misit, ut paulo ante memoravimus.

§. XXXII.

Caroli Lanoyi Neapolitani Proregis obitus.

Verum ambo hi Oratores vix' Cajetam advenerant, cum Lanoyum Neapolis Proregem e vivis excessisse, illis nunciaretur; unde Moncadam adibant, quem Lanoyus morti proximus sibi in exercitus imperio subrogabat, donec a Cæsare aliter constitutum esset. Postquam igitur junctis cum eo consiliis, quid hac in re agendum, decreverant, iter suum Romam versus prosequabantur, comitante eos Serenone, qui prius Lanoyo, nunc vero Moncadæ a

P 3 secre-

Sæcul. XVI. secretis erat. Haud amplam spem ex A.C. 1527. horum opera sibi polliceri poterat Imperator; quippe illi contrarijs omnino rationibus ad urgendum hoc negotium impellebantur. Quignonius enim purpuram ambiebat, summoque Pontifici favebat; Miliacensis vero Cæsaris commoda toto studio promovere fatagebat, ac propterea Papam liberari renuebat, eoquod, inquietabat ille, nunquam ab eo idonea cautio sperari posset. Serenon quoque, qui Moncadæ negotium gesserat, rem solus pro suo arbitrio moderari gestiebat, atque in utriusque Oratoris perniciem conjurabat, ex quibus Miliacensem exclusit, ac Neapolim revocavit; Quingonium tamen a munere suo per fraudem depellere non poterat, unde illius opera summo Pontifici maxime proficua fuit..

§. XXXIII.

Actum de liberando Pontifice.

Hæc dum interea gerebantur, Cæsar jam secundo præcepit, ut summi Pontificis liberatio tandem perficeretur, hancque in rem suis Oratoribus negotium dedit, ut Clementem Papam ad residuam pecuniarum summam copiis debitam adstringerent, simulque ab eo peterent, ut se obtenta libertate a fœde-